

JURISPRUDENCIA COMENTADA

SACRA ROMANA ROTA

CORAM

R. P. D. AURELIO SABATTANI, Ponente

NULLITATIS MATRIMONII
SENTENTIA DEFINITIVA

(Omissis)

A) QUOAD DEFECTUM FORMAE OB INCAPACITATEM TESTIS QUALIFICATI

a) In iure

4. QUID SIBI VELIT «CONTRAHERE CORAM PAROCHO»

Can. 1094 statuit: «Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur *coram* parcho...»

Vis et proprietas illius vebi «*coram*» dilucide Nobis ostenduntur a Iure Romano. In Digestis, tit. «De verborum significatione», legitur: «*Coram* Titio aliquid facere iussus, non videtur praesente eo fecisse, nisi is intelligat: itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse» (D., 50, 16, 209: Florentinus).

Quod confirmatur ab aliis locis parallelis: «(Quid sit *coram* sententiam dicere) —*Coram* autem dicere sententiam videtur, qui sapientibus dicit: ceterum coram furioso, vel demente, non videtur dici: item, coram pupillo, non videtur sententiam dictam. .» (D., 4, 8, 27, § 5). Et insuper: «...nihil *coram* furioso fieri intelligitur» (D., 4, 8, 49).

Conclusio est evidentissima: ubi ius requirit praesentiam personae, non intelligitur aliquem praesentem esse, nisi is intelligat quid agatur.

5. FIGURA IURIDICA PAROCHI, QUI MATRIMONIO ASSISTIT.

a) Notum est parochum non intrare, seu partem non habere *in constitu-*

tione contractus matrimonialis. Nam «matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus» (can. 1081, § 1).

Ipse nihil affert quoque ad sacramentum matrimonii conficiendum, cuius ministri sunt ipsi nupturientes (can. 1012).

b) Tamen, ex lege positiva, et in ordinariis adiunctis (can. 1098), parochus implet conditionem validitatis contractus per suam adsistentiam, quae requiritur non mere passiva, sed vere activa, cum, ad valorem coniugii, ipse debeat «exquirere et recipere contrahentium consensum» (can. 1095, § 1, n. 2). Ipse agit ut *persona publica*, in ordine ad potestatem administrativam, seu regiminis, Ecclesiae.

Haec tamen exquisitio et receptio consensus unice ad id tendunt, ut parochus, qui iam habitualiter est persona publica, relate ad singula matrimonia —inducta a consensu, de quo directe ita certior factus est— fiat *testis qualificatus*, cui Ecclesia fidem habet.

Animadvertit Sanchez: «...ideo petit Tridentinum assentiam parochi et testium, ut constet Ecclesiae de matrimonio contracto, et de eo testificari possint, ne vivente prima uxore aliquis posset ducere secundam, eo quod matrimonium non constabat Ecclesiae» (TH. SANCHEZ, *De sancto matrimonii sacramento*, Norimbergae, 1706, Lib. III, Disp. XXXIX, n. 1).

Haec est, idea, *functio specifica* parochi in assistentia ad nuptias, nempe testis qualificati. Id momentum habet, praesertim ex consecrariis, quae inde derivantur.

Quod hic et infra dicitur de parochus, applicandum est pari ratione ad Ordinarium et ad sacerdotem delegatum, qui nuptiis assistit.

6. UTRUM PAROCHUS, QUA TESTIS QUALIFICATUS, POSSIT ASSIMILARI NOTARIO ROGANTI NEGOTIUM BILATERALE.

a) Parochus *munus notarii* quoque implet relate ad nuptias coram ipso contractas: odque ex can. 1103, § 1, qui officium ei imponit redigendi actum matrimonii in apposito libro.

Et inscriptiones matrimoniorum, quae habentur in registis paroeciae, necnon attestaciones inde desumptae et a parochus confectae, sunt documenta publica ecclesiastica (can. 1813, § 1, n. 4).

b) Tamen *analogia cum notario*, praesertim civili, non videtur plene sustineri posse, potissimum quia actus scriptus matrimonii non requiritur ad validitatem coniugii, dum actus publicus (vel scriptura privata) requiritur ad validitatem plurium contractuum (ex. gr.: Cod. Civ. Ital., art. 1350).

Insuper notarius intrat in constitutione actus (cfr.: C. Civ. It., art. 2699, 2700), a quo directe, magis quam a voluntate partium, dimanant effectus iuridici; e contra, parochus non intrat in constitutione negotii matrimonialis, quod immediate effectum habet ab ipsa contrahentium voluntate.

Demum, dum munus notarii fere totaliter exhauritur in scriptura confi-cienda, parochus, uti testis qualificatus —confecerit vel minus actum matri-monii— fidem semper facere potest, et quidem plenam, de matrimonio coram ipso celebrato (can. 1791, § 1). Testis qualificatus est veluti *testimonium vi-vens*.

Praestat, ideo, figura testis qualificati supra figuram notarii.

c) Quapropter merito Concilium Tridentinum —uti refert Card. PALLAVI-CINO (*Historia Concilii Tridentini*, lib. XXII, cap. VIII, nn. 16-17)— inter scri-bam (notarium) et sacerdotem, nonnisi post ventilatas rationes, selegit paro-chum, uti testem auctorizabilem, seu qualificatum, Ecclesiae in matrimoniis recognoscendis.

7. QUALIS CAPACITAS REQUIRATUR IN TESTE QUALIFICATO.

a) Imprimis ea quae exigitur in quolibet *teste necessario*, sicuti supra deprompsimus a iure romano (n. 4).

Animadvertit SANCHEZ (l. c.): «Constat necessariam esse, ad valorem ma-trimonii, praesentiam parochi et testium, non tantum physicam, idest corpo-ream, sed praesentiam moralem et humanam, quae, ultra physicam, addit usum rationis et advertentiam: igitur exigitur ut parochus et testes usum rationis habeant, et intelligant consensum utriusque contrahentis».

SCHMALZGRUEBER (*Ius Ecclesiasticum Universum*, Pars III, Tit. XX, n. 4) excludit illos qui furore aut amentia aguntur, «quippe cum huius generis ho-mines habeant phantasiam adeo corruptam, ut putent se coram intueri, quae nuspiam fiunt in rerum natura. Quod de furioso dictum, extenditur ad mente captos, infantes, ebrios, et alios usu rationis destitutos, ob rationis paritatem».

b) Dein *capacitas quaedam peculiaris*, quae respondeat officio implendo.

Facultas testis qualificati plenam fidem faciendi «de rebus ex officio ge-stis» non immediate commensuratur eius dotibus personalibus, se eius func-tioni.

Talis suae functionis, ideo, testis qualificatus debet necessario conscius esse, seu *intelligere et velle illam praestationem suae functionis*: idque ad va-liditatem praestationis ipsius.

Quod deducitur etiam ex eo quod, si testis qualificatus fuerit «constrictus» ad praestationem «vi vel metu gravi» (can. 1095, § 1, n. 3), seu non libere adstiterit, invalida esset eius praestatio.

Eadem conclusio inducitur quoque considerando quod, si sacerdos assi-stens non fruitur potestate ordinaria assistendi matrimonio, debet licentiam acceptare, idque ad validitatem. Quod importat *notionem* saltem genericam mandati et *intentionem* agendi iuxta mandatum.

Hoc est discrimen inter testem qualificatum et testes communes seu vul-

gares ad nuptias, quod relate ad hos novissimos non exigitur nisi intelligentia facti externi seu celebrationis, et capacitas testificationis, non vero intelligentia suae functionis, nec voluntas suae praestationis. Possunt, enim, inservire uti testes, quamvis non fuerint formaliter adhibiti, seu non invitati ad hoc munus (S. R. R. Dec., Vol. XLII, Dec. 59, n. 5, p. 368): neque officit quod fuerint metu vel dolo adacti ad assistendum (CAPPELLO, *De matrimonio*, Ed. VII, p. 587, n. 653, 8).

c) Ideo *capacitas psychica* testis qualificati ad matrimonium involvit necessario, ultra capacitatem testis communis, *intelligentiam functionis exercitae* et *voluntatem*, saltem virtualem, *praestationis requisitae*.

8. IN PAROCHO NUPTIIS ASSISTENTE NECESSARIO REQUIRITUR CAPACITAS CERTIFICANDI DE INDIVIDUALITATE EXTERNA MATRIMONII.

Ultra progredientes in indagatione nostra, haec statuimus, ad qualitates psychicas testis qualificati specificae et accuratius determinandas.

A) Et imprimis: consulto adhibuimus verbum «*certificandi*», loco «*testificandi*»: et est sane aliquid maius et tutius.

Nam ponitur testis qualificatus «*ut constet Ecclesiae de matrimonio contracto*» (SANCHEZ, l. c.): neque aliquid Ecclesiae constaret, nisi de eadem re certitudo haberetur. Haec est basis exercitii illius *potestatis certificationis*, quae Ecclesiae competit.

Ast, in casu contradictionis inter testem qualificatum et testes communes, iurisprudentia nostra docet praevalere testem qualificatum (S. R. R. Dec., Vol. XIX, 11 iunii 1927, p. 223). Imo, in casu de quo in decisione diei 6 iunii a. 1950 depositio testis qualificati praevaluit supra alios testes et supra ipsum actum matrimonii relatum in registis paroecialibus (S. R. R. Dec., Vol. XLII, Dec. 59, p. 367).

Quamobrem, cum fons primarius certitudinis Ecclesiae sit testis qualificatus, ab eo exigi debet *capacitas psychica* apprehensionis clarae et certae.

B) Debet a parocho apprehendi *individualitas externa contractus matrimonialis*.

Alia est discretio iudicii necessaria in contrahentibus, alia in parocho assistenti: seu obiectum alterutrius discretionis est diversum. Cum testis qualificatus non intret in constitutione contractus (supra: n. 5), per se nihil officit si ipse ignoret vel erret circa naturam contractus matrimonialis.

Testis qualificatus *sistit ad corticem* contractus matrimonialis, seu ad eius individualitatem externam.

Necesse est, tamen, quod ipse *non impediatur percipere seu apprehendere clare et certe*:

- a) *individualitatem contractus*;
- b) *individualitatem circumstantiarum contractus*.

C) *Individualitas externa contractus matrimonialis* illa est qua, ex signis exterioribus, celebratio nuptiarum, distinguitur a sponsalibus, ab actibus praeparatoriis eiusdem contractus, ab experimento praevio caeremoniae nuptialis, a quocumque alio ritu religioso, ut, ex. gr., a benedictione anuli sponsalicii, a benedictione nuptiali mulieris, a missa pro sponsis quae celebratur in 25° vel 50° anniversario nuptiarum.

Sacerdos, qui, ob morbum psychicum, ob mentem confusam, non valeat huiusmodi distinctionem percipere et advertere, est incapax fungendi munere testis qualificati.

D) *Individualitas circumstantiarum contractus* comprehendit peculiaria adiuncta: a) personarum contrahentium; b) temporis; c) loci.

a) *Personae contrahentium* debent a teste qualificato dignosci: aa) *in ipsarum vera identitate*; bb) *in distincta functione quam singulae induunt* relate ad matrimonium contrahendum, seu in earum nexu.

aa) *Quoad defectum identificationis personae*. Iam Cappello animadvertit: «Si quis forte falso nomine et cognomine se proferat tamquam sponsum ac isto nomine et cognomine revera inscribatur in libro paroeciali, parochus non videtur dici posse testis qualificatus in ordine ad talem nupturientem» (o.c., n. 656, p. 588).

Quod procedere quoque debet, quando identificatio personae non sequitur ex dolo partis, sed ex defectu testis qualificati, quia adaequatio identidem non sequitur. Ita, si parochus ob ideam quandam obsessivam invincibilem sibi persuasit tribunalum militum, cuius matrimonio hodie assistere debet, esse imperatorem Napoleonem, et ita iubeat aedituum omnia bene disponere «quia agitur de nuptiis imperatoris, secreto accedentis sub falso nomine», evidenter huiusmodi sacerdos est testis incapax.

bb) *Quoad functionem distinctam et nexum personarum*. Si quis parochus ob mentis confusionem, sibi persuasit sponsam contrahere cum teste, et eum qui locum sponsi tenet revera esse testem, cui ob dignitatem personae tributus sit locus honorabilior, invalidum videtur coniugium ob incapacitatem testis qualificati.

b) *Etiam tempus contractus* —non quidem necessario in die et hora— percipi debet a paroco, ita ut, si v. g. matrimonium hodie celebratum ipse dicat initum anno elapso, agitur evidenter de teste qualificato inidoneo.

c) *Circumstantia loci* intrat quoque in individuatione extrinseca contractus, quia «locus regit actum»: debet ideo aliquo modo apprehendi a teste qualificato.

Neque opponi potest quod «falsa persuasio rei veritatem non mutat»: nam hic sub iudice est ipsa «veritas» seu validitas coniugii initi coram teste qualificato qui notionem loci non habuit.

E) Conclusionis instar, dici potest: capacitas certificandi de individualitate externa matrimonii *importat aliquam discretionem iudicii*.

a) Non agitur de iudicio theoretico, sed *practico*.

b) Necessaria est *cognitio intuitiva*, quae duo importat: ut fiat per speciem propriam, seu per propriam matrimonii illius et circumstantiarum veluti imaginem; ut feratur in celebrationem ipsam praesentem.

c) *Talis discretio iudicii non semper eadem requiritur*. Potest haberi parochus mente debilis, qui habilis sit ad assistentiam praestandam ordinariis nuptiarum celebrationibus, quique tamen difficulter percipere possit machinamentum celebrationis matrimonii per procuratorem, sibi non persuadens quod praesens vir, in scabello sistens, non sit contrahens.

Iam Card. DE LUCA animadverberat: «Cum ageretur de epistola per quam mulier absens loquebatur cum ipso paracho..., sine dubio *necessarium erat* ut ipse parochus *sciret atque intelligeret*, quod ea epistola esset conscripta per illam mulierem, nec alias esset confictum folium» (*Theatrum veritatis et iustitiae*, Ed. 1727, Venetiis, Lib. XIV, pars II, disc. XVII, n. 13: «Fortior intelligentia requiritur in matrimonio per epistolam»).

9. HAEC FACULTAS CERTIFICATIONIS QUANDOQUE ABOLITA EST OB MORBIDUM STATUM ILLIUS QUI ESSE DEBERET TESTIS QUALIFICATUS.—OFFICIUM CERTIFICATIONIS PRO EO IMMEDIATE NON CESSAT PER REDACTIONEM ACTUS.

A) Hucusque egimus de *apprehensione* individualitatis externae contractuum matrimonialium. Sed haec non est nisi prima phasis alicuius processus certificationis.

Phases successivae sunt: *conservatio* specierum, earum *recognitio*, *collocatio eventuum* in adiunctis temporis et loci, et *relatio* de iisdem eventibus eorumque circumstantiis individuantiis.

Quando aliqua phasis est impedita, *processus certificationis* evolvi non potest.

Et notum est memoriam physiologicè pendere ab efficientia et functione texturae nerveae, quae radicitus immutantur iuxta aetatem et statum plus vel minus morbidum subiecti.

Ergo status pathologicus subiecti, qui eius memoriam impediat, potest quoque afficere capacitatem certificationis, ac consequenter capacitatem ipsam testis qualificati ad matrimonium.

B) Ast hic occurrit *difficultas*. Posset quis obiicere: quando testis qua-

lificatus actum matrimonii redegit in regestis paroecialibus, ad quid ulterior rei memoria in eo requireretur?

Respondetur: Reapse non ponimus *quaestionem mnemometricam*, seu de gradu memoriae: difficulter ius potest in huiusmodi mensuris intrare.

Sed quando *facultas ipsa mnemosica ablata est*, ius non potest rem negligere, quia ipsa possibilitas alicuius certificationis, quae a iure requiritur, adempta dignoscitur.

Neque insistendum est in redactione actus matrimonii, ac si celerior vel tardior confectio actus in regestis paroecialibus posset decernere de capacitate vel minus testis qualificati.

Talis inscriptio fieri debet «*quam primum*» (can. 1103, § 1), contra Decr. *Ne temere*, quod habebat: «statim». Ideo «ut vox ista intelligi consuevit, intra tres vel quattuor dies» (CAPPELLO, o.c., n. 718, p. 649).

Sed, etiamsi actus matrimonii redigatur statim, *non ideo immediate cessat officium certificationis* ex parte testis qualificati, qui —ut supra enucleavimus: n. 8, A)— est semper *fons primarius certitudinis Ecclesiae* supra et ultra regestum.

Et hoc necessario evenit, quia in ipso actu possunt irrepere errores, quos necesse est dein corrigere ad normam iuris; possunt moveri contestationes, utique postea expendendae et definiendae. Ast in huiusmodi processiculis certificatio testis qualificati necessaria est.

Neque semper possibilis est immediata redactio actus matrimonii, ut, ex gr., in nuptiis contractis urgente mortis periculo, in casibus publicae calamitatis, in locis missionum, etc.

C) *Capacitas certificationis* est, ideo, *conceptus iuris*, non merus eventus facti.

Et praesens nostra indagatio adhuc ultro probat veritatem illius propositionis: «Ius est *scientia qualitatum*, non *quantitatum*».

Non in horae quadrante, quo durante forsán memoria celebrati matrimonii confuse perseverat in teste, stat validitas vel nullitas nuptiarum; non in properata et incerta scriptura, anxie redacta, supra quam atra nox mentis immediate descendit!

Stat vero in eo quod testis, ideo positus «ut constet Ecclesiae» de celebratis nuptiis, quin fruatur mirabili illa memoria Pici a Mirandula, sicut quilibet «negotiorum gestor» possit utiliter referre Ecclesiae et respondere, iuxta communiter contingentia, de functione publica ab ipso exercita.

10. DEMENTIA SENILIS ET CAPACITAS CERTIFICATIONIS TESTIS QUALIFICATI AD MATRIMONIUM.

A) Memoriae amissio, alia est *anterograda*, alia *retrograda*.

a) Altera habetur, quando specierum, iam conservatarum, seu inscriptarum, inde a quodam termino amplius possibilis non est recognitio et associatio, vel est valde difficilis (n. 8, A). Quod debetur praesertim traumati cerebrali, vel morbidae contagioni, aut toxicae infestationi ipsius cerebri.

Haec tamen retrograda memoriae amissio nostra parum interest. Nuptiae quibus sacerdos adstitit ante trauma non periclitantur ex eo quod earum testis qualificatus amplius non est rei memor. Capacitas —et necessario etiam incapacitas— testificationis non est merus eventus facti (cfr. supra: n. 9, C).

b) E contra, valde relevat memoriae amissio *anterograda*, qua, inde a tempore quo status quidam pathologicus inductus est, amittitur facultas inscribendi novas species, seu conservandi imagines, dum species antea impressae aliquo modo recognoscuntur.

Hoc fit praesertim *per dementia senilem*.

Si, ideo, parochus, vera et conclamata senili dementia iam correptus (non vero formis huic valde similibus), nuptiis assistat, cum capacitas ipsa certificationis ei amplius non succurrat, testis qualificatus esse non potest: et consequenter matrimonium est nullum, ac si absente teste qualificato celebratum fuisset.

B) Huius «*dementiae senilis*» *natura et symptomatologia* sunt exponenda, ut inde examinari possit an verificentur in casu.

a) «*La demenza senile* è una malattia che ha per base un processo morboso organico di tipo degenerativo, che colpisce il cervello, elettivamente nelle zone differenziate per la funzione psichica.

«L'etiologia della demenza senile è sconosciuta. Vi è una *indubbia ereditarietà* di questa malattia, secondo alcuni con caratteri addirittura dominanti.

«La demenza senile ha due reperti istopatologici specifici: le *placche senili*, a ruota, a gomito, a clava, e l'*alterazione vorticosa fibrillare di Alzheimer*.

b) «*La sintomatologia* della demenza senile è quella di un decadimento mentale globale e progressivo, che colpisce cioè dapprima elettivamente le funzioni più alte della mente, ma ben presto si estende anche a quelle più semplici, lasciando solo integre, almeno per lungo tempo, le funzioni psichiche più elementari. I primi segni del decadimento mentale, si manifestano con l'*irrigidimento del pensiero*.

«Ben presto però compaiono disturbi mentali più gravi e evidenti: cioè una grave e progressiva *sindrome amnestica*. Questa consiste essenzialmente di un deficit organico della memoria aggravato da altri disturbi quali: difficoltà di percezione sensoriale, difficoltà a prestare e a mantenere l'attenzione ed a concentrare il pensiero, difficoltà delle associazioni appercettive necessarie per la comprensione. Il disturbo organico della memoria si accentua con

un lento e progressivo aggravamento che va dalla perdita delle nozioni complesse e non abituali a quelle ordinarie e correnti, iniziando sempre dai ricordi più recenti per giungere fino alle nozioni, già da lungo tempo acquisite e spesso ribadite nella memoria, specie se mantenute da particolari legami affettivi. In uno stadio molto avanzato si osserva deficit grave della memoria di fissazione o memoria immediata. Il malato può fissare e riprodurre per breve tempo una nuova rappresentazione ma, dopo pochi minuti in cui vi storna l'attenzione, perde la possibilità di riprodurlo, mentre è ancora capace di rievocare antiche immagini.

«Il disturbo della memoria immediata fa sì che i malati ricordino male e confusamente tutte le immagini che si presentino loro giornalmente; ne nasce un *disorientamento nel tempo, nel luogo e rispetto alle persone*. Non è raro che le gravi ed estese lacune della memoria, vengano riempite dal soggetto con rappresentazioni che egli crede corrispondere ad avvenimenti reali, ma che sono invece *falsificazioni della memoria*, o vere invenzioni fantastiche (confabulazioni). Così il malato può raccontare come avvenuti pochi giorni prima fatti personali, che in realtà risalgono alla sua gioventù.

«Parallelamente al disturbo di memoria tutte le *facoltà mentali* più o meno si *disgregano*. Con l'affievolimento dei poteri critici, di astrazione e di intuizione i malati non hanno chiara coscienza del loro disturbo: ne consegue una precoce perdita del nucleo cosciente della propria personalità. Disorientamenti nel tempo, nel luogo e rispetto alle persone.

«Ne consegue un *contegno* ben differente da quello abituale. Le loro azioni si impoveriscono, divengono goffe e puerili: spesso commettono atti sciocchi (testamenti, acquisti, imprese, matrimoni sbagliati).

«Gli affetti, nei dementi senili partecipano al crollo generale. Nei primi stadi le note distintive del carattere si accentuano fino all'esagerazione patologica: i malati divengono pedanti, diffidenti, avari, cocciuti, egoisti.

«*I sintomi neurologici* che possono trovarsi nella demenza senile sono: miosi e torpore pupillare, assenza di riflessi profondi, lieve ipertono diffuso, disturbi dell'andatura (abasia trepidante). Molto più di rado si riscontrano accentuati disturbi motori agli arti inferiori, per lo più di origine midollare (paraplegia dei vecchi). Un sintomo quasi costante è il *tremore agli arti*, che si rende bene *evidente nella scrittura*. Gli scritti dei senili sono tipici per la piccola grafia, a linee tremolanti, spesso con errori paragrafici, per i disturbi mentali» (Relatio peritalis Prof. Callieri). —Cfr. et: GOZZANO, *Compendio di Psichiatria*, Torino, 8.^a Ed., pp. 168-171; MANUNZA, *Manuale di Psicopatologia Forense*, Napoli, pp. 67-74; SCHWARTZ, I. KURUK, A. KURUK, *Recherches sur la morphologie et la pathogénie des altérations séniles*, La Presse Medicale, 25 nov. 1964, pp. 2979-2984.

C) *Criteria adhibenda a Iudice.*

Cum non semper periti et medici plene cognoscant qualis iudicii discretio

requiratur in teste qualificato, diagnosis medica vallanda est per directum examen iudicis circa modum agendi illius, de cuius morbo psychico agitur, a testibus fide dignis in iudicio relatum.

Quod utiliter praesertim fit, quando vita subiecti, gravibus evidentibusque defectibus scatens, per tales depositiones, veluti per imaginem luce expressam, loculenter Tribunali apparet. Huiusmodi defectus, cum agatur de modo agendi parochi in suo ministerio, rectius percipiuntur a Iudice.

Indagari, ideo, debet utrum huiusmodi parochus vel sacerdos habitualiter, tempore praestitae assistentiae, Missam celebraverit vel minus, Divinum officium recitaverit, sacramenta administraverit, conciones ad fideles habuerit; utrum omissiones fuerint morbo physico vel psychico tribuendae.

Si fuerit parochus, investigari debet utrum regimen paroeciae in illo consisteret, an ab alio exerceretur (vicario adiutore vel cooperatore, parochus viciniore, etc.). Plurimum valet scire, utrum facultates necessariae tributae fuerint vicario ab ipso parochus, an directe ab Ordinario, facta abstractione a parochus; et item utrum vicarius referret parochus an directe Ordinario vel vicario foraneo de rebus paroeciae ad recipienda mandata et consilia.

Si alterum ex duobus semper, vel fere semper, relevare contingat, evidens erit quod parochus ille iam habebatur uti incapax ad sua munia exercenda.

b) In facto

11. PAROCHUS, TEMPORE QUO NUPTIIS ADSTITIT, IAM AB ANNIS MUNIA PAROECIALIA NULLO MODO EXERCEBAT NEQUE MODERABATUR, NEC MISSAM CELEBRABAT: IDQUE NON OB IMPEDIMENTUM CORPORIS, SED OB MENTEM TORPIDAM.

(Omissis)

12. IDEM PAROCHUS MENTE ITA CONFUSA ERAT, UT ALIUM PRO ALIO VOCARET, ADIUNCTA TEMPORIS NON PERCIPERET, LECTURAE NON VALERET INCUMBERE, CONSILIA ABNORMIA IMPERTIRET.

(Omissis)

13. ASSISTENTIA AB EO PRAESTITA NUPTIIS PARTIUM ITA FUIT DEFICIENS ET MANCA, UT ADSTANTES OMNES ADMIRATI FUERINT: CONSENSUM VIRI PAROCHUS EXPLICITATE NON REQUISIVIT.

(Omissis)

14. IMMEDIATE ANTE ET POST NUPTIAS PAROCHUS VISUS EST NON PERCIPERE ADIUNCTA PERSONARUM, SED NEC PERSONAS IPSAS CONIUGUM ET ACTUM REDIGENDUM.

(Omissis)

15. IUXTA PERITOS PAROCHUS, TEMPORE QUO MATRIMONIO ADSTITIT, AFFECTUS ERAT GRAVI DEMENTIA SENILI, ITA UT INCAPAX ESSET EXERCENDI MUNUS TESTIS QUALIFICATI.

(Omissis)

16. IDEO PAROCHUS HABENDUS EST UTI INCAPAX CERTIFICATIONIS IURIDICAE RELATE AD NUPTIAS PARTIUM IN CAUSA, AC PROINDE UTI TESTIS QUALIFICATUS INHABILIS.

(Omissis)

Quapropter *matrimonium* partium in causa *declarari debet nullum ob incapacitatem testis qualificati*.

B) QUOAD DEFECTUM FORMAE OB OMISSIONEM ESSENTIALIS PARTIS RITUS.

a) In iure

17. DE REQUISITIONE, RECEPTIONE ET MANIFESTATIONE CONSENSUS MATRIMONIALIS.

a) Can. 1095, § 1, habet: «Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt: ...3.º Dummodo neque vi neque metus gravi constricti requirant expiantque contrahentium consensum».

Requisitio et receptio consensus respiciunt testem qualificatum, et constituunt *duos actus copulative necessarios* ad validitatem matrimonii, *a sacerdote ponendos*.

Imponitur a lege, ad valorem, duplex actus moraliter coniunctus, sed non imponitur forma eorundem actuum. Proinde requisitio et receptio consensus, si quidem expresse, sed tantum implicite ponantur, nequeunt iuridice insufficientes haberi. Receptio consensus est semper actus implicitus, quia nec in Rituali Romano (Tit. VIII, cap. 2, Ed. 1957) invenitur aliqua formula ad declarandam talem receptionem. Receptio implicita continetur in eo quod testis qualificatus, «mutuo contrahentium consensu intellecto», procedit ad ulteriora, et pronuntiat formulam: «Ego coniungo vos...».

Quoad requisitionem, substantia huius actus necessarii in eo est quod sacerdos assistens debet active se gerere et consensum nupturientium aliquo modo externo provocare. Talis provocatio imprimis inest in formali interrogatione, sed viget quoque in quibuscumque manifestationibus positivae exquisitioni consensus aequivalentibus.

b) *Manifestatio consensus* respicit contrahentes. Canone 1088, § 2, habet:

«Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint».

Haec tamen manifestatio *verbalis* non requiritur nisi *ad* liceitatem (cfr. Gasparri, o.c., n. 865, vol. II, p. 67; Cappello, o.c., n. 617, b, p. 552).

Requiritur ad validitatem *aliquod signum sensibile*, consensum manifestans. Difficulus regula generalis tradi potest de signis sufficienter consensum exprimentia: inclinatio capitis ad requisitionem consensus, ultronea porrectio manus ut altera pars anulum immittat, ultronea praesentatio dexterarum et iunctio cum dextera manu alterius partis ante parochum, accessio ad sacristiam post ritum et traditio nominum ad hoc ut parochus possit referre contrahentes et testes praesentes in libro matrimoniorum. Haec sunt totidem signa externa, quae sufficienter videntur consensum exprimere.

b) In facto

18. QUAMVIS VIR VERBA CONSENSUS NON PRONUNTIaverit, utpote non explicite requisitus, tamen identidem sufficienter expressit consensum per gestus et signa.

(Omissis)

Ideo matrimonium nequit nullum declarari ob omissionem essentialis partis ritus.

C) QUOAD EXCLUSIONEM BONI SACRAMENTI EX PARTE MULIERIS

a) In iure

19. IURIS PRINCIPIA QUOAD EXCLUSIONEM BONI SACRAMENTI.

Quamvis circa hoc bonum matrimonii non detur distinctio inter ius et exercitium iuris, tamen, ut nullitas coniugii declarari possit, requiritur probatio actus positivi voluntatis, consensum vere limitans et circumscribens per exclusionem indissolubilitatis.

Haud sufficiunt, ideo, dictoria vel laudationes divortii in genere, quia haec voluntatem specificam illas nuptias contrahendi directe non afficiunt. Neque valet adducere diffusos amores, cui coniux postea favit, neque divortium deinceps expetitur, quia haec tribui possunt posterioribus eventibus, et non necessario praevio et determinato proposito, consensum penetranti.

Causa quoque assertae exclusionis debet considerari, eo quod inserviat ad eruendam vim exclusionis ipsius.

b) In facto

20. UXOR CONVENTA SIMULATIONEM PENITUS NEGAT. ET TESTES NIHIL DE TALI EXCLUSIONE REFERRE VALENT: IMO MULIERI TRIBUUNT INTENTIONES RECTAS HAC DE RE.

(Omissis)

21. IPSE ACTOR TANDEM ADMITTIT DICTA SPONSAE CIRCA DIVORTIUM NON FUISSE NISI PLACITA GENERICA, CONTRAHENDAS NUPTIAS NON RESPICIENTIA.

(Omissis)

Quapropter matrimonium declarari nequit nullum ob exclusionem boni sacramenti ex parte mulieris.

22. Quibus omnibus tum quoad ius tum quoad factum rite perpensis et consideratis, Nos infrascripti Iudices, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, edicimus, declaramus et definitive sententiamus, ad propositum dubium respondentes: «*Affirmative*», seu «*Constare de nullitate matrimonii, in casu, tantummodo ex capite defectus formae, ob incapacitatem testis qualificati*».

Atque ita sententiamus, mandantes locorum Ordinariis et ministris Tribunalium ad quos spectat, ut executioni committant hanc Nostram definitivam sententiam ad normam SS. Canonum et adversus reluctantes procedant, iis adhibitis executivis mediis quae opportunitiora et efficaciora pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 19 februarii a. 1965.